

Gen. 25. 2.

Conferantur loca: Fuerunt populi di-
uerfi, cognati tamen, & in turma illa
coniuncti omnes in Arabia finibus: *Is-*
maelita ex Ismaele filio Hagar. *Midianita*
ex Madan, *Medanita* ex Medan filiis Ke-
turae. Ergo promiscue Moses nominat
modo hos, modo illos, vt omnes in vna
societate fuisse doceat. Quantum ad po-
sterius: Emtor Iosephi Potiphar duo di-
gnitatis attributa habet, 1. dicitur סריס
quod sonat principem & eunuchum.
LXX. טף סריס סריס מ: Vetus, *Eunuchus*: Onke-
los, *Principi*. Sic & Pagninus. Nostri, *auli-*
co, generaliter: Habuit vxorē, quæ post-
ea Iosephum sollicitauit ad cōcubitum,
cap. 39. 12. Non igitur fuit spado. Eunu-
chus potuit esse, quia Gynæceis quidem
spadones præficiantur: regum vero
Eunuchi non erant spadones. 2. dicitur
שר הטבחים princeps laniorum, à טבח ma-
ctare: inde טבח quod coquum, lanium,
etiam mactatorem hominum, hoc est,
militem significat. LXX. ἀρχιμαγειρον, à
μαγειρον, coquere, vel occidere. Hieron. in
quæst. Genes. notat, *Archimagiros coquo-*
rum principes plerisque Scripturae locis dici pro
magistris exercitus. Ergo idem hic erit,
quod magister militum. Vatablus: *cub-*
iculario Pharaonis Regis. Lutherus, *dem*
Rämmerer / Hoffmeister: Duo igitur of-
ficia videtur sustinuisse, cubicularii re-
gis & præfecti militum, qui sunt lanii &

occifores hominum. In nostra Electo-
rali aula idem nunc est præfectus co-
quorum, & magister domus aulae, *Kü-*
chenmeister / vnd Haushoffmeister. Ita
Potiphar potuit vtrique muneri præ-
esse.

Allegoriam huius historiae ad Chri-
stum, supra attigi: & Ambros. persequi-
tur cap. 4. lib. de Iosepho.

Si quærat, cur Deus permiserit tan-
to fratrum scelere Iosephum infontem
venundari? Iacobum & Isaacum tanto
luctu affici? *Respon.* In Iosepho nulla causa
reperitur præter innocentiam, quam
Spiritus sanctus nobis commendat, ne
patiamur vt malefici, sed in afflictioni-
bus fruamur bona conscientia. Sic nihil
nocebunt: oppressos vero iniuste, Deus
cum Iosepho suo tempore exaltat. In
Iacobo Hebræi quidem fingunt causas
peccati, maxime, quod hædino sangui-
ne fuerit delusus: quia ipse hædina pel-
le deluserat patrem. Sed est argutum.
Exemplum edidit Deus *δοκιμασις* piorū,
quos grauissime exercet casibus dome-
sticis, priuat bonis aut liberis nimium a-
matis, vt desiderium bonorum præstan-
tiorum atque cælestium magis in eis
excitet. In fratribus denique causa vide-
tur poni durissimæ seruitutis, quam sibi
& posteritati sceleribus suis attraxe-
runt.

CAPITIS XXXVIII.

Argumentum, Vfus, Partitio.

Historia Iosephi hoc capite interpolatur narratione de Iuda nuptiis cum muliere Cananea; ge-
neratione trium filiorum, deq; incesto concubitu Iuda cum Thamar, & inde natis gemellis
Pharez & Zarah Plena turpitudinis & offensionis videtur narratio, adificans magis ad delictum,
quam ad virtutem: quam ideo forte præstabat silentio præterire. Sic iudicat ratio, quæ ex Patriar-
charum nauis arripit ansam calumniandi, quasi historia sacra tantum libidines & flagitia descri-
bat. Nos offendiculo & calumniis rationis opponamus sententiam Apostoli, Rom. 15. 4. Quæ ante
scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse. Est autem doctrina multiplex, quam hac
narratione nobis suggerere voluit Moses.

Doctrina
huius nar-
rationis.

I. Historica: Originem primam familie Iuda, quæ inter tribus alias dignitate & potentia
regia tandem excelluit, & ex qua David, aliq; Reges: tandem Christus ipse prodiit, fuisse ex incestu
nati.

P R I M

1. De Iuda coniugio &
2. De Iuda incestu cum
Thamar ex incestu

3. De Iuda nuptiis cum
Thamar

4. De Iuda generatione
trium filiorum

5. De Iuda natis gemellis
Pharez & Zarah

6. De Iuda natis gemellis
Pharez & Zarah